

feodi sui apud Esprevillam. Ex dono Hugonis de Mara triginta solidos Andegav. in suo molendino, et sex solidos apud Robertot. Et ex dono Richardi de Morevilla, terram quæ vocatur boscum Halduci juxta Nutrivillam. Quare volo, &c. Testibus, Rotroldo archiepiscopo Rothomagensi; Henrico Baiocensi, Egidio Ebrouicensi, episcopis; comite Willelmo de Mandevilla, Richardo de Humet constabulario; Regin. de Courtenay, Roberto Marmion; Richardo de Camvilla; Hugone de Cressy, Seihero de Quinci et Regin. de Pavelli; Willielmo Malovicino; Richardo de Vernone; Hugone de Lacy; Hugone de Longo-campo; Roberto de Stuteville; Aluredo de sancto Martino; Gilleberto Malet; Gerardo de Camvilla. Apud Rothomagum.

NUM. II.

Carta de Haringey, per Regem Henricum Primum.

[Cart. 11 Edw. II. m. 3, n. 9. per Inspex.]

HENRICUS rex Anglorum Anselmo Cantuar. archiepiscopo, Willielmo Wynton. episcopo, Henrico de Portu vicecomiti, cæterisque suis fidelibus Francis et Anglis, de Hantescira, salutem. Sciatis quod ego concedo S. Petro Jumeticensi, Haringejam, et omnia quæ ad illam pertinent, cum sacâ, et socâ, et tol, et team, et infangenethef, cum omnibus aliis consuetudinibus; nec volo pati ut aliquis quicquam indè auferat neque minuet. Teste, Roberto comite de Mellent, et Henrico comite de Warrewyc; et Roberto filio Hamonis, et Ricardo de Retvers, et Roberto filio. Apud Wyncestam, in Paschâ.

Abbey of Gaille-Fontaine.

GAILLE-FONTAINE ABBEY, in the Pais de Bray and diocese of Rouen, was founded by Hugh de Gornay, about the year 1050. An Inspeximus of the 8th

Hen. Vth recites the foundation charter. See relating to this Abbey the Description de la Haute Norm. vol. ii. p. 117.

Abbatia de Goislafontana.

Carta Hugonis de Gornaio, de Fundatione ejusdem.

[Pat. Norm. 8 Hen. V. p. 3, n. 15. per Inspex.]

Hugo de Gornaio omnibus fidelibus, tam futuris quàm præsentibus, salutem. Notum volo fieri universis, quod ego et Millesend, uxor mea, construxerimus ecclesiam beatæ Dei genitricis Mariæ, et S. Johannis Bapt. apud Goisla-fontanam juxta Alnetum, qui est secùs rivulum qui vocatur Clarus Rivus: pro quo etiam loco dedimus unam acram terræ ecclesiæ S. Mauricii, et aliam acram Hugoni de Sancto Mauricio. Ad eandem igitur ecclesiam transire fecimus sanctimonialia, quæ antea in valle Prelii habitaverunt; quibus omnes elemosynas et possessiones, quas ante eis dederamus, iterum eidem loco assignantes in elemosynam perpetuam donamus, et præsentis scripto confirmamus, quæ etiam propriis nominibus subnotare volumus; unam carrucatam terræ apud Goisla-fontanam, decimas furnorum ejusdem villæ, et quinquaginta solidos Belveiosinorum, in redditibus ejus; scilicet, in traverso xx^s. in redditu forestæ xx. in censibus x. in molendino xviii. minas frumenti. Apud Castrum Firmitatis unam carrucatam terræ, et decimam pomerii nostri de Wellebue. Decimam de Loceio, quam Oliverus de Agiâ debet eis reddere, cum decimâ quatuor librarum, quas habet theoloneo Escociei. In Laudeunensi, de maritaggio Millesend. uxoris meæ xl^s. provenientium.

In Angliâ apud Castram duas marcas argenti, et dimidiam. Ecclesiam de Malpeltreham, post decessum Radulfi. Sciendum etiam, quod omnes præfatæ donationes sunt concessione filiorum nostrorum, Girardi et Hugonis. Postea quoque dedimus eis campartagium totius feodi Hugonis de Braunostier, apud Brokedale, quod emimus à Rogero Sorix. lx^s. Belveiosinorum. Concessimus insuper eis omnes terras et elemosynas, quas ex donatione hominum nostrorum possident, quas etiam propriis volumus designare vocabulis: Ex dono Johannis de Boell. nemus et terram, quam habebat juxta locum earum, pro quo tamen ei dedimus lx^s. Belveiosinorum. Ex dono Aletini Burgundensis, et Hæwisæ uxoris

suæ, pro filiâ suâ Gremburc, totam terram quam habebant in Mesnillo Aeleini, et vadimonium xx^s. in eadem villâ: et vadimonium lx^s. apud Fossatum, et decimam pomerii sui apud Goisla-fontanam. Ex dono Guarini de Rameia decimam de Calni, quam hæreditario jure possidebat, et quicquid habebat in molendino de Malis-pultibus, et in alio molendino de Hericurt; et campartagium quod habebat in eâ villâ; quæ omnia dedit eis pro duabus filiabus suis, Beatice et Adâ.

Ex dono Roberti de Hanselaines, et uxoris ejus Hæwisæ, et Ricardi filii illius, qui in eadem domo ad conversionem venerunt, cum duabus filiabus suis, Mariâ et Grembert, unam carrucatam terræ apud Frielourt, et iii. modias frumenti, et in avenâ apud boscum Hugonis, quos reddunt monachi Mortui Maris, concessione filiorum ejusdem, Roberti, Warini, et Radulfi. Ex dono Theobaldi thesaurarii Belvanti, duos modios avenæ apud boscum Hugonis. Ex dono Mariæ filiæ Godeleris medietatem decimæ feodi Petri de S. Luciano, apud Maltaies. Ex dono Odonis de Helpegneis, pro Lusciâ filiâ suâ, duas garbas decimæ totius terræ suæ, et unam acram prati apud Helpegneias. Ex dono Johannis de Roseio decimam totius feodi sui apud Heregnem. Ex dono Radulfi Escovart unum campum terræ apud Goisla-fontanam. Ex dono Gaufridi Cordele campos duos ibidem. Ex dono Hugonis de Belmont in eadem villâ campum unum. Ex dono Hugonis filii Albecire, ibidem campum unum. Ex dono Hugonis de Bettemert duas minas frumenti. Ex dono Rainaldi duas minas in molendino de Malis-pultibus. Ista omnia dedimus et concessimus præfatis sanctimonialibus in elemosynam perpetuam, pro remedio animarum nostrarum, et antecessorum, necnon et liberorum nostrorum, et præsentis cartâ communivimus. Præterea ego Milesendis dedi in elemosynam perpetuam, liberam et quietam, prædictæ ecclesiæ, omnes emptiones meas in vadimoniâ meâ, quæ in die obitus mei habitura sum: insuper et omnes acquisitiones meas in omnibus rebus. Testibus, Roberto de Prisse, Johanne de Hosdene, &c.

Abbey of Grandmont, in Normandy.

THIS Abbey, situated in the forest of Beaumont le Roger and diocese of Evreux, was founded by Robert earl of Mellent, as we learn from the confirmation charter of the 8th Hen. Vth which follows the present notice; and which recites charters of King Henry II. and King Richard the First of England, and of King Philip of France; the last, in

1273, reciting the Earl of Mellent's charter. Dugdale has also given two other charters to the brethren of Grandmont, granted by King John. Cresswell Priory in Herefordshire was said to have been of the Order of Grandmont, because furnished from thence with monks.